

TVO in me amore, quo me potissimum voluisti huius certaminis a TE instituendi moderatorem, laudisque, quae ex eo, certo enim scio, in TE redundabit, participem aliqua ex parte esse. Licet enim de TVA in me voluntate benivolentiaque nunquam dubitauerim, tamen hoc ipso consilio cepto videris mihi eam nouo quodam et mirabili testimonio confirmare, quo ipso nescio, annon quidquam eidem adcedere, eaque quasi augeri dici possit. Certe hoc nouo amoris specimine, quod abieci a nobis edere instituisti, non tantum omnem praeteritorum beniuolentiae signorum memoriam in mentem mihi reuocas, sed et tam alte animo imprimere mihi videris TVI in me fauoris imaginem quasi, ut nullius futuri temporis obliuio unquam eam ex eodem eluere possit. Sed et gratulandi mihi iucundissimam praebes et exoptatissimam occasionem. Quidni enim TIBI gratuler insignem virtutis, doctrinae, humanitatis laudem, quam omnium consensu in hac nostra FRIDERICIANA consequutus es, cuique per ipsam super hoc libello instituendam disceptationem cumulum quasi es additurus? Hac laude ornatus iam fausto pede suscipis iter in ALMAM GEORGIAM AVGVSTAM, celebratissimam per totam Germaniam musarum sedem, et quasi ocellum, ubi abundabis praeceptis institutisque omnium artium, et in primis quoque iuris nostri, propter summam et auctoritatem doctorum, et multitudinem, qui et scientia TE augere possunt, et exemplis. Exempla enim summos Viros, qui ibi docent, TIBI proponas. Quare gratulor TIBI imprimis quoque hunc in GEORGIAM AVGVSTAM aditum, qui ipse TE multa felicitate ornabit. Quae omnia quum TIBI, eadem gratulor et TVIS, quibus, uti hucusque fecisti, praebebis quoque in posterum, faxit Deus feliciter, multiplicis gaudii laetitiaeque ac solatii occasionem. Ita vale, meque et absens amare perge.

Dabam e museo. ipsis Kalendis Septembr. CIOCCCLXV.

